

Bolletí de la Societat Arqueològica Luliana

PALMA.—JURIOL DE 1906

SUMARI

I. Antichs Privilegis y Franqueses del Regne. Regnat de Jaume III. (Majoria d' edat), per D. Pere A. Sanxo.

II. Documentos curiosos del Archivo municipal de

Sansellas.—I La orde dels obres dels macips e dels solars. —II Inventari de la Iglesia Parroquial (1482), por D. J. Ramis de Ayreflor y Sureda.

III. Rúbrica dels Llibres de Pregons de la antiga Curia de la Governació—Llibre III—Any 1406, (continuació), per D. Estanislau Aguiló.

ANTICHS

PRIVILEGIS Y FRANQUESES DEL REGNE

REGNAT DE JAUME III

(MAJORÍA D' EDAT)

XXXVII

v idus Junii M CCC xxxix

Quod priuilegiati, clerici et extranei soluant in adiutis impositis propter defensionem regni Maioricarum.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispezzulani. Dilecto et fidei consiliario nostro Antonio de Galiana, legum doctori decanoque Maioricensi, et fidei nostro Guillermo Michaelis, jurisperito Maioricarum, salutem et dilectionem. Recordamur commississe vobis dudum per nostras litteras, ut in regno Maioricarum et insulis ei adiacentibus mandaretis executioni quandam nostram ordinationem, emanatam pro exoneratione nostre conscientie, super debita prouisione contributorum et contribuendorum ac super remedio de non contribuendo in terris nostris per extraneos, priuilegiatos, clericos et alios in impositionibus, aiudis

Any XXII.—Tom XI.—Núm. 316.

seu contributionibus quibuscumque. Nunc itaque, missi ad nos nuncii pro parte juratorum et proborum hominum Maioricarum, Guillelmus Valentini et Petrus de Cigiis, coniurati eorum, Jacobus Çagranada, Johannes de Portello, Jacobus Rubei, Raymundus Çafortesa, Jacobus de Canellis, Arnaldus Saquintana, Petrus Figuerie et Petrus Mosqueroles, proposuerunt suppliciter coram nobis, quod vos, pre-textu dicte commissionis, dictos juratos ad restituendum indistincte ea omnia que per eos vel alios pro eis recepta sunt ratione dictarum impositionum, aiudarum et contributionum aliarum ab extraneis, priuilegiatis et clericis uultis compellere et prouidere, secundum tenorem eiusdem ordinationis, ne dicte persone ad talia contribuant in futurum. Cum autem nostre intentionis fuerit, prout etiam in ipsa nostra ordinatione cauetur, dictas restitutionem preteritorum et prouisionem futurorum fieri debere in eo casu dumtaxat quo dicte aiude vel impositiones fuerint ex causa per quam de jure persone extranee et priuilegiate ad premissa non

debeant rationabiliter coactari, impositiones autem ille que dudum per nos fuerunt ordinate in Maioricis fuerunt indicte pro regni et terre ipsius defensione, ex qua defensione quilibet extranei ad ipsa regnum et terras declinantes vtilitatem procul dubio assequuntur; ideo de receptis ab ipsis personis extraneis uel aliis quibuscumque negotiatoribus pro impositionibus huiusmodi declaramus aliquam restitutionem, vigore dicte nostre ordinationis, fieri non debere. Sane super restitutione fienda eorum que recepta sunt ab extraneis et priuilegiatis personis de aiudis in victualibus seu alias impositis, tam ex rationibus per dictos nuncios allegatis quam etiam per nonnullos de nostro consilio de eis quatenus in facto consistunt plenius informati, et ex eo precipue quare longe amplior pecunie quantitas quam sit illa quam soluerunt extranei et clerici seu priuilegiate persone in predictis aiudis dicti iurati de proprio sue communitatis per modum tallii exsoluerunt etiam pro illis negotiis in quibus supranominate persone de iure contribuere cogi possent, que quidem pecunia leuata ex tali tallio ad vtilitatem etiam personarum huiusmodi et totius reipublice est conuersa, videlicet in expensis factis, lapsis temporibus, pro bladorum prouisionibus urgentibus in eisdem regno et insulis, atque pro talayis et armatis factis contra piratas et ad repugnationem hostium fidei catholice et aliorum dampnificare nitentium regnum ipsum, necnon pro murorum, uallorum et aqueductuum operibus et aliis pluribus necessariis conseruationi reipublice ac personarum et rerum, status et conditionis cuiuslibet, declinantium et existentium in regno et insulis antedictis; igitur declaramus non esse restituenda ea que sic leuata sunt pro aiudis ipsis a personis proxime expressatis, maxime cum ipsi iurati, prout prenominati nnnccii coram nobis asseruerunt, velint etiam quasdam arduas pecunie summas, ad quas nunc obligati existunt ratione expensarum per eos factarum in talibus in quibus etiam priuilegiati et extranei contribuere rationabiliter debuerant, de suo seu sue communitatis proprio exsoluere absque contributione aliqua facienda per priuilegiatos vel extraneos antedictos. Dictam in et super prouisionem de non contribuendo pro futuro tempore per ipsas personas in dictis aiudis addicimus adhuc fieri non debere, pro eo videlicet quia regnum et dicte insule, necnon commorantes et declinantes ibidem, cuiuscumque status sint, ac etiam tota respublica, similibus ne-

cessitatibus et periculis supposita, pretactis remediis et prouisionibus egent sepe, vnde nobis etiam non videtur rationi contrarium si pro necessitatibus huiusmodi sepedicte persone aliquid contribuunt in eisdem. Ad dictorum itaque nunciorum supplicationem, prehabita super his deliberatione sollicita cum sacre pagine et vtriusque juris professoribus et aliis de nostro consilio, incitati pretactis et aliis pluribus rationibus, de quibus cum in facto consisteret informationem nouiter habuimus, ad declarationem processimus predictorum, mandantes vobis et aliis quibuslibet officialibus nostris, quatinus ad restituendum ea que pro aiudis, impositionibus vel contributionibus aliis habita sunt in dictis regno et insulis ab extraneis, priuilegiatis et clericis dictos iuratos minime compellatis, cum, ex tenore dicte nostre ordinationis, in casibus supradictis vbi pro tali causa fuerunt similia imposita ad restitutionem nullus debeat coerceri, nec etiam faciatis pro personis eisdem aliter quam de personis aliis ordinatum est in dictis regno et insulis pro futuro tempore quidquam augeri, diminui vel etiam immutari in ponderibus, mensuris seu alias super rebus pro quibus ratione dictarum vrgentium necessitatum dicte aiude vel contributiones alie exhibentur, saluo tamen, quod pro ipso futuro tempore, quo ad tangit clericos dumtaxat, consensus seu auctoritas Maioricensis episcopi requiratur. Datum Perpiniensi sub sigillo nostro pendenti quinto idus iunii anno Domini millesimo CCC^o xxx^o nono.

Rosselló vell fol CLXXVI.

XXXVIII

x kalendas Octobris M CCC xxxix

Quod generosi Majoricarum sint exempti a sententiis questionum et tormentorum, ita ut nullus torqueri possit pro ullo crimine, nisi false monete vel lese majestatis.



JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilonis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Solet regalis industria, que solerstitibus studiis per exhibitiones fauoris et gratie subiectos suos hortatur libenter et incitat ad virtutes, illos quidem grandioribus prerogatiuis honoris et priuilegiorum potioritate maiorum prosequi et efferre quos a suorum progenitorum virtute degeneres non esse

cognoscitur, quippe qui per inueteratam nobilitatem generis a claris parentibus probitatis exempla traxerunt fati, immo, quadam necessitate impulsus, illorum imitatione votiua ad similia inferentur. Attendentes sane quod licet per iura scripta illi qui sunt nobiliores natalibus et honoris luce conspicui, persone etiam militares, hac videantur immunitatis prerogatiua potiri, vt non debeant, inconsultis principibus, ab inferiori iudice subici questionibus seu tormentis, est tamen auctoritas et consilium inferendi tormenta uel questiones in personas generosas et nobiles in casibus quibus possent de iure communi inferri, etiam de iure specialiter, principi reseruata; porro nos uolentes nobiles et generosos, personasque etiam militares quas-cumque nostrorum regni Maioricarum et insularum eidem adiacentium, largiori priuilegio communire, damus eisdem et concedimus in priuilegium speciale perpetuo duraturum, vt nullus nobilis uel generosus seu queuis persona alia militaris possit pro crimine uel alio casu quocumque subici questionibus uel tormentis, etiam nobis consultis, quinimmo nos ipsos in ipsorum priuilegium et fauorem astringimus, ut super inferendis questionibus personis eisdem in futurum perpetuo, etiam pro iure regalie et superioritatis nostre, auctoritatem et consilium non prestemus, nisi dumtaxat pro crimine false monete uel lese maiestatis, in quibus siquidem propter immanitatem criminis ipsos ab huiusmodi honore et priuilegio esse uolumus excludendos. Mandamus igitur ac districte precipimus omnibus officialibus nostris, ut hoc nostre liberalitatis priuilegium obseruent firmiter et faciant obseruari. Dat. Perpiniani decimo kalendas octobris anno Domini M^o CCC^o tricesimo nono. Nos prenominatus rex propria manu subscribimus. Per dominum regem ad relationem uestram. P. de Pulcrouicino.

Confraria de Sant Jordi fol XXII.

XXXIX

xxvij Martii M CCC xl

Que de les interlocutories que de paraula se donen nos pach salari.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilectis et fidelibus nostris gerenti vices locumtenentis nostrum in regno Maioricarum, baitulo et vicario

eiusdem ciuitatis, salutem et dilectionem. Nuncii ad nos pro parte fidelium nostrorum Maioricarum missi coram nobis supplicando proposuerunt, quod temporibus preteritis non consueuit salarium dari de interlocutoriis que per illos qui vobis in dictis officiis pferuerunt proferebantur verbo, quodque a pauco tempore citra petitis de dictis interlocutoriis salarium vobis dari, quare fuit nobis supplicatum, vt predicta ad statum pristinum (!) redigi iuberemus. Eorum itaque supplicationi annuentes benigne, mandamus vobis, quatenus inantea de talibus interlocutoriis que per vos seu uestrum quemlibet fieri continget verbo nullum salarium recipiatur. Dat. Perpiniani xxvij. die martii anno Domini M^o CCC^o xxx.°

Abelló fol XCV v.*

XL

xxix Martii M CCC xl

Que los notaris en les corts hon scriuen no procurer ni aduocuen.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto et fidei nostro gerenti vices locum nostrum tenentis in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Nuncii ad nos nouiter missi pro parte fidelium nostrorum iuratorum Maioricarum coram nobis supplicando proposuerunt, quod scriptores in scribaniis curiarum fidelium nostrorum baiuli et vicarii ciuitatis Maioricarum procurant aduocando pro gentibus, tam in locis in quibus exercent officium tabellionatus quam aliis, quod posset redundare in detrimentum illorum qui causas ducunt in illis. Quare ad eorum humilem supplicationem mandamus vobis, quatenus iniungatis scriptoribus dicte ciuitatis et extra, vt amodo in curia seu consistorio in quibus exercent officium tabellionatus non debeant seu audeant pro aliquo aduocare seu causidicare. Datum Perpiniani xxviii.° die martii anno Domini M^o trecentesimo xxx.°

Abelló fol XCV.

* Posterum diu erróneament l' original.

XLI

xxix Martii M CCC xl

Que lo loctinent general no prengue salari de les declaracions que fara.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto et fidei nostro gerenti vices locum nostrum tenentis in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Supplicationi nunciorum nouiter ad nos pro parte fidelium nostrorum iuratorum Maioricarum missorum annuentes, mandamus vobis, quatenus *de* declarationibus que fient per vos in aliquo seu aliquibus negotiis nullum salarium recipiatis, nisi declarationes ipse ad vos deuenirent per commissionem aut appellationem, quoniam alias (*sic*) volumus vos salarium posse petere aut habere. Dat. Perpiniani xxviii. die martii anno Domini millesimo CCC.º xxxx.

Abelló fol XCV.

XLII

xxix Martii M CCC xl

Que los iutges delegats declaren ab promens.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani, notum facimus vniuersis, quod ad humilem supplicationem nunciorum ad nos missorum per fideles nostros iuratos Maioricarum per presentes ducimus ordinandum, quod delegati in quibuscumque causis per dilectum et fidelem nostrum locumtenentem Maioricarum aut eius vices gerentem habeant et debeant eorum sententias seu pronuntiationem ferre cum consilio proborum hominum iuxta franquensiam Maioricarum et sub illa forma qua alii ordinarii dicte ciuitatis hoc facere consueuerunt. Mandantes prefato locumtenenti seu eius vices gerenti, quatenus hanc nostram ordinationem dictis iuratis obseruent firmiter et faciant obseruari. Dat. Perpiniani xxviii. die martii anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo.

Abelló fol XCV v.º

XLIII

xxix Martii M CCC xl

Que lo loctinent general de les sentencias les quals con ordinari done no prengue salari.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto et fidei nostro gerenti vices locum nostrum tenentis in regno Maioricarum, salutem et dilectionem. Ad humilem supplicationem nunciorum nouiter ad nos missorum pro parte fidelium nostrorum iuratorum Maioricarum mandamus vobis, quatenus de sententiis et cognitionibus que per vos fient aut vobis ex officio vestro pertinebunt tanquam ordinario aliquod salarium non recipiatis. Dat. Perpiniani vicesima nona die martii anno Domini millesimo CCC.º xxxx.

Abelló fol XCVI v.º

XLIV

viij Iulii M CCC xl

Que pach lo senyor rey les despesses del armament de dos galeres, iuxta lo pariatge.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto et fidei locum nostrum tenenti in regno Maioricarum, salutem et gratiam. Ad humilem supplicationem factam nobis pro parte fidelium nostrorum iuratorum Maioricarum mandamus vobis, quatenus ille due galee que pridem armate fuerunt in Maioricis contra gualeam illam ianuensium piratarum que cepit quandam gualeam cum qua ad nos plures generosi de Maioricis veniebant armate fuerint iuxta formam pariatii, expensas factas pro illarum armamento, iuxta formam ipsius pariatii, solui debite faciatis. Dat. Barchinone viij. die iulii anno Domini M.º CCC.º quadragesimo.

Abelló fol CXX.

XLV

xxxix Januarii M CCC xl (N. 1341)

Concessio nobilibus, baronibus et militibus Majoricarum eorumque subditis:

I *Quod citati vel capti adducti ad curias ad informandum super crimine commisso ab aliquo aut super crimine levi de quo ipsi existent in culpa, nihil sagionibus teneantur solvere pro pedagio.*

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispezzulani. Vniuersis et singulis nobilibus, baronibus, militibus et personis aliis militaribus regni Maioricarum et insularum eidem adiacentium, presentibus et futuris, nostris fidelibus, salutem et dilectionis affectum. Ad prosequenda vota uestra tanto magis fauorabiliter intendimus quanto per amplius ad nostros honores uos affectionem gerere feruidam mente et opere ostendistis; benigne igitur postulationes uestras supplices admittentes, ducimus ordinandum, quod si uos uel aliqui subditorum uestri ex nunc, aliquo futuro tempore, siue euocati veneritis seu venerint siue capti adducti fueritis seu fuerint per sagiones ad curiam nostri locumtenentis, vicarii forensis uel alterius iudicis pro inquirendo seu habenda a uobis uel eis informatione super crimine aliquo ab alio commisso de quo uos uel iidem minime obnoxii uel culpabiles fueritis seu fuerint uel etiam super crimine de quo uos aut ipsi adducti in culpa existetis seu existent, veruntamen ipsum crimen erit leue et tale pro quo de iure uel consuetudine incarcerari non debueritis seu debuerint, nichil uos seu iidem uestri subditi proinde dictis sagionibus pro pedagio uel alias in casibus huiusmodi soluere teneamini seu teneantur, uos enim et eos immunes esse uolumus a quacumque prestatione que de consuetudine uel aliter super hoc fuerit introducta.

II *Quod fideiussores a nobilibus dati nullam penam incurrant infra tempus in quo sese opponere valeant cum effectu defensionis delati.*—Insuper etiam uobis concedimus, quod si super aliqua delatione uel preuentione facta in curia nostri vicarii uel alterius iudicis contra uos uel aliquem ex uobis uel etiam contra aliquem de uestris subditis fuerint dati fideiussores pro repre-

sentando ad certam diem eodem delato dicte curie postque per eam fideiussores ipsi requisiti fuerint alias quod certam penam incurrant, eo casu, si fideiussores ipsi pro representando obligati se opponere voluerint cum effectu defensionis dicti delati absentis infra tempus quo illum representasse dicte curie debuerint, non incurrant dictam penam. Hoc autem intelligi uolumus si delati de tali crimine fueritis uel fuerint in quo de iure interuenire debeat procurator, alias autem uolumus penam et cautionem inde prestatas in suis viribus permanere: ad arbitrium quoque ius reddentis competere uolumus discernere an sit causa uel crimen in quibus per procuratorem defendi ualeat huiusmodi criminosus.

III *Quod si officiales magnatorum deliquerint vel sese obligauerint, cognitio et punitio super eos ad dominos ipsos pertineant et non ad curiam vicarii, nisi culpa fuerit resistentie aut non obtemperantie officialibus regis, salvo tamen in maioribus criminibus iure regalie.*—Adhuc autem uobis ducimus concedendum, quod si officiales uestri alicui fuerint obligati ex contractu uel crimine commune in officio uel alias commiserint, infra tamen iurisdictionem dominorum ipsorum quorum officiales existunt, cognitio et punitio et omnimoda iurisdictionis super contractibus et criminibus huiusmodi ad dominos ipsos et non ad curiam vicarii nostri debeant pertinere, nisi tamen iidem domini in fatica inde reperti fuerint uel delicta eadem commissa forent nostre curie resistendo uel non obtemperando alii nostro officiali suum officium exercenti, tunc enim horum cognitionem et punctionem nostro vicario forensi uolumus pertinere, salutis etiam nobis seu curie nostre cognitionem et punctionem maiorum criminum, que ad nos, ratione superioritatis et regalie, pertinere debent de iure uel secundum usaticam Barchinone.

IV *Quod debita baronum christiano uel iudeo, ob translationem patrimonio regio sive fiscali, non naturam debiti fiscali obtineant.*—Amplius etiam uobis concedimus, quod si uos uel aliquis ex uobis seu etiam aliquis uester subditus christiano uel iudeo alicui fueritis uel fuerit obligatus et obligatio huiusmodi per ipsum creditorem in nos seu nostros procuratores translata fuerit ex quauis causa, sic tamen quod periculo creditoris eiusdem exactio fieri debeat

debiti memorati, eo casu ex ipsa translatione in patrimonio nostro siue fiscali facta uos uel talis vester subditus obligati non possitis nec possit compelli nec hoc exigi in casu predicto debeat tanquam fiscale debitum seu pro debito nostri patrimonii siue fisci, etiam si aliud hucusque per nostros procuratores seu officiales quoscumque fuerit obseruatum.

V *Quod punitio transgredientium ordinationum penaliu a rege editarum infra magnatorum terminos ad eos spectet, nisi de iure communi regie curie specialiter competat uel expresse regi reseruetur.*—Deinde etiam uobis ducimus indulgentium, quod si per nos uel predecessores nostros aliqua penalis ordinatio edita fuerit uel edetur in posterum et aliquis forsitam infra uestras iurisdictiones dicatur fuisse obnoxius, contra ipsam ordinationem committendo, eo casu cognitio, punitio et pene exactio in locis uestrarum iurisdictionum super talibus ad uos spectet, nisi tamen de iure communi uel secundum usaticam Catalonie hec cognitio uel punitio curie nostre specialiter competeret, uel nisi ordinatio ipsa penalis facta sit uel fiat super casu ex quo nullum iurisdictioni uel iuri uestris posset preiudicium generari et in ea caueatur expresse quod transgredientium punitio uel pene exactio ad nos spectet.

VI *Quod circa aquas que per terminos iurisdictionales nobilium ducuntur, respondeat banderius uel custos earum de bannorum emolumentis, retenta parte inde ipsi contingente.*—Porro etiam uobis concedimus, quod si ex ordinatione nostra uel predecessorum aut successorum nostrorum aqua ducatur per terminos locorum uestrorum in quibus iurisdictionem habetis uel in posterum adducetur pro nostra uel communi utilitate, banderius seu custos aqueductus ipsius debeat per procuratores nostros constitui, in posse quorum iuret super custodia dicti aqueductus fideliter se habere, sed nichilominus iuret in posse illorum uestrum per quorum terminos et iurisdictionem factus est uel fiet dictus aqueductus, quod infra dictos terminos exiget fideliter bannum positum pro custodia ipsius aque, et quod eis respondebit integre de banno ipso, sibi tamen banderio seu custodi retenta parte eum inde contingente secundum consuetudinem in casibus huiusmodi obseruatam. Idem per omnia uolumus obseruari si alicui

cuiuscumque persone ex priuilegio uel alias competat ius aque ducende per terminos uestre iurisdictionis, etiam si eis qui ducere possunt aquam ipsam concessum fuerit ut teneant uel tenere possint aut habere banderium seu custodem pro sui custodia talis aqueductus, ut uidelicet banderius ipse iurare habeat dominis per quorum terminos aqua ducitur et de emolumentis bannorum respondere eisdem secundum formam superius expressatam.

VII *Quod seruentur militibus dilationes in iudiciis.*—Rursus quoque uobis concedimus, quod concessa uobis dilationes seu statute certe dies ex constitutionibus Catalonie, tam in euocandis seu trahendis uobis ad iudicia quam in modo procedendi uobiscum in iudiciis, uidelicet ordinariis et etiam commissariorum nostrorum, uobis seruentur sic quod procedere in ipsis iudiciis ultra formam dilationum aut dierum ipsarum cogi minime ualeatis.

VIII *Quod per sagiones regios non fiant executiones in locis iurisdictionum nobilium.*—Preterea uolumus et concedimus uobis, quod per nostros sagiones non fiant aut fieri debeant executiones in locis uestrarum iurisdictionum, nisi demum cum fatiga in uobis uel uestris curiis inde reperta fuerit, uel nisi in casibus quibus nobis, ratione regalie et ratione superioritatis uel alias, executiones huiusmodi pertinerent.

IX *Quod, datis fideiussoribus, nemo baronum possit in carceribus detineri, nisi sit enorme crimen.*—Adducimus insuper et uobis concedimus, quod uestrum aliquis in carceribus detineri non debeat si delatus fuerit de crimine non enormi, dummodo detentus talis pro ipso crimine fideiussores idoneos curie que eum detinet offerat atque prestet.

X *Quod si homines aliorum dominorum habitantes in locis magnatorum in tempore belli recusauerint iuramentum fidelitatis eis quorum essent ipsa loca, non faciat cum dictis hominibus partem procurator fiscalis, nisi regis fuerit interesse.*—Consequenter etiam uobis concedimus, quod si homines aliorum dominorum habitantes in locis uestris recusauerint prestare sacramentum fidelitatis ei uel eis cuius uel quorum essent ipsa loca tempore quo essent in guerra et ex hoc questio insurrexerit, procurator noster fiscalis non debeat inde partem facere cum hominibus ipsis, nisi essent nostri homines, uel nisi hoc nostra, ex causa aliqua, interesset, quod siquidem ad

nostra interesse dicatur uel non declarationi committimus iudicantis.

XI *Quod si aliquem de subditis nobilium citauerint sagiones vicarii, illis persona mittens satisfaciat de pedagio.*—Ordinamus quoque, quod si ad instantiam alicuius sagiones vicarii nostri citauerint aliquem de subditis uestris, eo casu sagionibus ipsis satisfiat in pedagio eis debito per illum videlicet ad cuius instantiam ipsa citatio facta erit. Si autem, ipso uestro subdito contumace existente, sagiones iterato ad eum missi fuerint, tunc per talem uestrum subditum in pedagio sagionibus ipsis debite satisfiat.

XII *Quod nequeant declarare officiales regii incurrisse in fatiga curias militum, nisi post lapsos decem dies a fienda requisitione.*—Iterum concedimus uobis, quod fatiga in uestris curiis imponi nequeat seu declarari per quoscumque officiales nostros inuenta fuisse in ciuilibus causis uel negotiis, nisi demum lapsis decem diebus a tempore quo a nostris curiis ad uestras processerit requisitio uel mandatum.

XIII *Quod si curie baronum gravate fuerint in scriptis per curias regias, reuocatio fiat in scriptis; aliter uero sine scriptis.*—Insuper etiam uobis concedimus, quod si uos uel uestre curie in casu aliquo per nostras curias in scriptis grauati fueritis uel grauate fuerint, in scriptis grauamina huiusmodi debeant per easdem nostras curias reuocari; si uero sine scriptis grauamina ipsa processerint, subsequatur etiam reuocatio sine scriptis.

XIV *Quod nobilibus et militaribus locus honestus in carcerem destinetur.*—Ceterum, ut inter uos et plebeios, etiam quoad locum carceris, seruetur discretio personarum, ordinamus, quod infra carcerariam seu domum commune carcerarie nostre specialis locus honestus et congruus assignari, deputari et esse debeat pro nobilibus ac militaribus personis, in quo dumtaxat, et non cum plebeiis seu in locis carceris plebeiorum, sitis si aliquem ex uobis capi contigerit detrudendi, in quoquidem loco nulla persona ponatur, nisi generosa uel nobilis, sine nostra uel nostri locumtenentis licentia uel mandato speciali.

XV *Quod milites nihil scriptori solvere debeant pro diebus in causis que agitabuntur in curia regia.*—Demum etiam uobis concedimus, quod ex nunc pro diebus seu pro computatione dierum quibus procedetis in causis que agitabuntur in nostris curiis ordinariis nichil scriptori uel alii soluere debeatis, stilo seu ob-

seruatione contrariis non obstantibus quibuscumque. Saluo tamen et expresse retento, quod per ea que in presenti priuilegio continentur non intendimus in omnibus locis uel terminis ditorum nobilium, militum, militariumue personarum populatis, nec in iurisdictione, mixto aut mero imperio, plus iuris ex hac causa ipsis nobilibus uel militibus militaribusue personis concedere quam habeant de presenti, nec iuri nobis competenti in predictos homines, iurisdictionem, mixtum uel merum imperium in suis locis uel terminis in aliquo derogare, sed dumtaxat illum uel illos libertatibus et priuilegiis per nos hic eis concessis, vno uel omnibus, gaudere volumus, qui secundum iurisdictionem eis competentem uel conditionem personarum inuenti fuerint uti posse priuilegiis memoratis. Dat. in Montepessulano sub bulla nostra plumbea xxix^o die ianuarii anno Domini M^o CCC^o xl^o. Nos uero rex prefatus propria nostra manu hic subscribere sumus dignati. Per dominum regem. P. Glorie.

Confraria de Sant Jordi fol XXIII.

XLVI

viiij Februarii M CCC xl (N. 1341)

Exsecutoria iubens observantiam precedentis constitutionis.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilonis et Ceritanie ac dominus Montispezzulani. Dilecto et fidei nostro locumtenenti Maioricarum ceterisque nostris officialibus ibi presentibus et futuris, salutem et dilectionem. Cum per nostram cartam nostra bulla plumbea premunitam, cuius data est in Montepessulano vicesima nona die ianuarii anno infrascripto, nobilibus, baronibus, militibus et personis aliis militaribus regni Maioricarum et insularum eidem adiacentium priuilegia certa et immunitates aliquas gratiose concesserimus, mandamus uestrum cuiilibet, quatenus illa et illas ipsis inuiolabiliter obseruetis et obseruari faciatis, iuxta modum et formam contentos in carta antedicta. Dat. in Montepessulano octaua die februarii anno Domini millesimo CCC^o quadragesimo. Per dominum regem ad relationem Arnaldi de Lordaco. P. Glorie.

Confraria de Sant Jordi fol XXVII.

XLVII

vj Octobris M CCC xlj

Que cascu puxe casar.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto et fidei nostro locumtenenti Maioricarum, salutem et dilectionem. Dilectus et fideles nostri Imbertus de Ffenolhar, domicellus, Guillelmus de Villari, iurisperitus, et Johannes Seu, nuncii per fideles nostros iuratos Maioricarum nouiter ad nos missi, nobis humiliter supplicauerunt, vt quandam litteram concessam per dominum Sancium, bone memorie, regem Maioricarum, nostrum patrum, continentem vt quilibet in eo quod suum est venari valeat seruari faceremus, non obstante quodam generali capitulo quod, vt dicitur, prohibet ne quis in Maioricis venari audeat de carnipriuio usque ad festum Beati Michaelis, quodque dignaremur concedere vt quilibet cum falcone aut alia aue quacumque in Maioricis, omni loco omni tempore, pro voluntatis libito, venaretur. Annuentes itaque supplicationi huiusmodi mandamus vobis, quatenus litteram dicti nostri patru mentionem de premissis facientem seruari faciatis, dicto generali capitulo in quantum obuiat dicte littere in aliquo non obstante, nam hoc de speciali gratia ipsis iuratis concedimus quamdiu nostre placuerit voluntati. Datum Perpiniensi sexta die octobris anno Domini millesimo CCC.^o quadragesimo primo.

Abelló fol XCVI.

XLVIII

xij Octobris M CCC xlj

Rauocacio e anulacio de la pena de les C milia liures als jurats daquell temps posada.

JACOBUS Dei gratia rex Maioricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montispessulani. Dilecto et fidei nostro locumtenenti Maioricarum, salutem et dilectionem. Per ea que dilectus et fideles nostri Vmbertus de Ffenolhar, domicellus, Guillelmus de Villari, iurisperitus, et Johannes

Seua, nuncii nouiter per fideles nostros iuratos Maioricarum ad nos missi, pro parte ipsorum juratorum suppliciter coram nobis fuerunt explicata⁽¹⁾ intelleximus, quod vos, vigore quarumdam litterarum per nos vobis directarum continentium ut duos probos viros expertos et idoneos super facto monete faceretis per ipsos iuratos mitti ad nos, illico iniunxistis iuratis ipsis, sub fidelitate qua tenentur et sunt astricti nobis et sub pena centum mille librarum, quod ad nos mitterent duos probos homines, ratione antedicta. Supplicarunt itaque dicti nuncii nobis humiliter, nomine ipsorum juratorum, ut iniuncta per vos ipsis et mandata quecumque ob hoc facta veluti iniusta dignaremur ex toto cassare et etiam annullare. Prospicientes itaque formam mandatorum ipsorum et causam propter quam mandata et pene per vos dictis iuratis impositae fuerunt, declaramus, tenore presentium, penam sub fidelitate per vos dictis iuratis impositam, occasione premissa, nullius roboris existere seu etiam firmitatis, eandem penitus, vigore presentium, annullantes, cum causa seu negotium propter quod pena ipsa fuit imposita non sit tale pro quo possit seu debeat imponi talis pena: aliam etiam penam pecuniariam, videlicet centum mille librarum, ob hoc per vos ipsis iuratis impositam, si et in quantum in illa inciderunt, eisdem remittimus per presentes. Et nichilominus volentes erga ipsos iuratos nostros fauores impertiri beniuole, eisdem et eorum cuiuslibet quamcumque penam ciuilem et criminalem que in eos uel eorum alterum posset infligi, eo quia non obtemperauerunt mandatis ex parte nostra per vos eis ob hoc factis, remittimus de speciali gratia per presentes. Mandamus itaque vobis et quibuslibet nostris officialibus ibi, quatenus annulationem et remissiones predictas firmas et ratas habentes, illas seruatis iuratis ipsis absque violatione et seruari faciatis. Dat. Perpiniensi duodecima die octobris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo.

Pergami número LXXXV.

PERE A. SANXO.

⁽¹⁾ Nota la feita de concordancia.

DOCUMENTOS CURIOSOS

DEL

ARCHIVO MUNICIPAL DE SANSELLAS

Durante mi permanencia en Leyar he tenido ocasión de conocer el Archivo Municipal de la villa de Sansellas y poder apreciar los curiosos libros y documentos que encierra.

Son interesantes bajo muchos conceptos las noticias y datos que tales libros nos dan á conocer, y para el aficionado á esta clase de trabajos prestan ancho campo y suministran crecido material para un estudio serio de las costumbres, organización, vicisitudes é importancia de aquella antigua villa y su término.

Para comprenderlo fácilmente bastará saber que se conservan en el citado archivo la serie completa de los libros de *Resoluciones* del antiguo Consejo de Sansellas desde el año 1401 al 1718; una colección continuada de libros de *Comptes*, cuyo primer volumen comienza el año 1418, siguiendo hasta nuestros días con las diferentes denominaciones con que en el transcurso de los siglos han ido titulándose tales tomos; más de veinte *Cadastrés*, que nos dan á conocer las vicisitudes sufridas por la propiedad desde el año 1460 hasta el siglo XIX; varios libros de inscripciones, habilitaciones y extracciones de los oficios municipales de las centurias XVI, XVII y XVIII.

Contiene también dicho Archivo crecido número de tomos en folio en los cuales se hallan continuadas infinidad de escrituras de establecimientos de tierras firmadas por los Jurados en nombre de aquella Universidad, que resultan de verdadera importancia, y otros de quitaciones de censos hechas á favor de aquel Consejo municipal. Abundan los libros de *Almoynes*, y forman también parte de sus fondos interesantes volúmenes que encierran toda clase de órdenes, bandos y otras disposiciones y acuerdos referentes á Milicias del siglo XVIII.

Igualmente comprende un crecidísimo número de libros cobratorios de tallas, de diferentes cuentas y anotaciones pertenecientes á distintas épocas, y una com-

pleta colección de impresos referentes á Reales Cédulas, Pragmáticas, Instrucciones y Reales Autos, de los siglos XVIII y XIX. Existen también en dicho archivo unos cien actos extendidos en pergamino, varios de ellos de mediados de la centuria décimocuarta, en perfecto buen estado de conservación y que hacen referencia la mayor parte á creaciones ó quitaciones de censos de la misma Universidad.

Registrados muy superficialmente los citados volúmenes entresaqué de ellos los documentos que van á continuación, y otros que seguirán en números venideros de este BOLETIN, que juzgué interesantes por los datos que suministran.

Por el inventario que transcribo venimos en conocimiento de la importancia de la iglesia parroquial de San Pedro de Sansellas en el siglo XV, al propio tiempo que con él se puede hacer un regular estudio del empleo de muchas palabras y frases antiguas aún usadas en Mallorca en la segunda mitad de aquella centuria; y las curiosas ordinaciones de los Jurados y Consellers, que preceden, reglamentando los bailes y solaces en 1415, nos dan idea exacta del carácter y las costumbres de la antigua sociedad forense de esta isla en aquella época.

I

La orde dels obres dels macips e dels solars.

